

cito expirant et servitia eis præstita levi de causa oblivioni traduntur : « Novimus, inquit Cornelius a Lapide, in cap. I. Exodi, nuper in Belgio aulicum primarium, qui principi cuidam vicino per multos annos intimus et in summis fuerat deliciis : postea vero levi de causa omni ejus gratia excidit. Is ex aula secedens altius philosophari Deoque et animæ suæ vacare cœpit tumque dictitare solebat : Experientia didici quantum intersit inter obsequia delata principi et delata Deo; rursum quantum intersit inter gratiam principum et gratiam Dei. Didici enim et vidi obsequia magna, et multa principi delata cito oblivioni tradi et parum remunerari: si principem vel leviter offendas, vidi, quod manet alta mente repositum quodque severe vindicatur : obsequia vero etiam parva Deo delata, didici in æterna ejus memoria servari, magnisque et æternis præmiis ab eo remunerari : offensas autem in eum etiam graves levi pœnitentia ita deleri, ut ipse protinus omnis injuriæ obliviscatur pœnamque ultro condonet. » Denique, domini terræ parum præstare servis suis possunt; in rebus enim omnium arctissimis, et maximis necessitatibus juvare eos nequeunt : Dei vero servi omnipotentem Dominum habent. Refert Vincentius Belvacensis, in speculo morali, militem quemdam postquam fideliter serviisset marchioni cuidam, ægrotare cœpisse, et a domino suo sæpius visitatum interrogatumque esse, quid rerum ipsi deesset; nullis se impensis parsurum, dummodo æger desiderium suum exponeret. Respondit æger : « Si pro meis laboribus et servitio fideli aliquid mihi gratum rependere decrevisti, fac ut aut mortem imminemtem evadam, aut saltem una hora ab his meis doloribus sublevar, et si continget me hinc emigrare, una saltem nocte provideas mihi de hospitio commodo et optato. » Cumque marchio diceret hæc omnia in Dei solius manu esse, se vero temporalia, quæ posset libenter ei subministratum, tum æger ad adstantes versus : « Videtis, inquit, nunc charissimi, quam male tempus impenderim, ser-

viendo isti domino, qui nec ad unam horam liberare me ab his doloribus et animæ periculis potest. Suadeo itaque vobis, ut meo exemplo sapiat et tali Domino serviat, qui vos in extrema necessitate potest adjuvare, et a pœnis præsentibus ac futuris præservare cœloque adscribere, id quod etiam si convaluero, facturum me spondeo. » Obiit ergo in hac bona cogitatione, bene, ut spes erat. Vere itaque dixit Sanctus Ambrosius : *Dignitas est servum esse potentis* : et Sancta Agatha ad tyrannum : *Multo pretiosior est christiana humilitas et servitus regum opibus et superbia*. Quem vero non excitabit ad serviendum Christo, sententia illa : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus?*

Secundo, excitat ad sui imitationem : *Qui mihi ministrat, me sequatur*. Quorsum vero vult ut sequamur eum? Ad crucem utique et mortem, de qua paulo ante locutus erat, et ad quam præcessit nos. Dicebat v. espasianus imperator : *Imperatorem decet stantem mori, q. d. laboribus immori*; idque ei contingit, dum inter manus servorum obiit. Eodem modo Christus stans in cruce et perdurans in laboribus obiit. Hujus igitur exemplo decet Christianum patientem et laborantem mori : quia a duce suo præmium expectat. Sic obiit Sanctus Stephanus, qui inter imbrem lapidum non desiit convincere et devincere Christo Judæos : sic Petrus in ipso carcere convertit Processum et Martinianum cum aliis quadraginta quinque : Sanctus Paulus et ipse in carcere convertit Philemonem, et quosdam de familia imperatoris, nec destitit per epistolas hortari et confirmare Ecclesias : S. Andreas biduo in cruce pendens prædicare nunquam intermisit : ita beati confessores, Ambrosius, Hieronymus, Beda aliique sacrorum librorum scriptioni institerunt usque ad mortem : denique, Laurentius noster in ipsa craticula jam semiustulatus, tyrannum redarguere et cohortari non omisit : **hunc igitur sequamur etc.**

AUCTARIUM.

CONCIO I.

LAURENTIUS VERE URBANUS ET AULICUS HISPANUS.

I. Quia amicum non deseruit in necessitate. — II. Quia ultro dedit munera. — III. Quia potentes sapienter admonuit. — IV. Quia cessit paribus et inferioribus. — V. Quia etiam male acceptus gratias egit.

THEMA.

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Joan. XII.

Notum est in aulis regum, neminem æstimari nec admitti facile ad principem, multo minus promoveri, nisi qui urbanitatem et mores aulicos didicerit : rusticos et inurbanos exsibilari et extrudi. Habet etiam Christus Rex regum suam aulam, in qua et ipse quoque desiderat viros aulicos et urbanos : hos promovet et exultat, adeo ut in hodierno evangelio dicat : *Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* : inurbanos vero et inciviles negligit ac contemnit. Quid videtur vobis de Laurentio? Fuitne ipse aulicus? Sane Ildephonsus Giron. Hispaniarum regis concionator, in festo S. Stephani, refert Sanctum Laurentium martyrem ab Italis appellatum *il cortese Spagnuolo*, urbanum seu aulicum Hispanum, hæc de causa. Cum enim corpus Sancti Stephani Romam deferretur in basilicam et sepulcrum Sancti Laurentii, adeo id honorifice exceptit Sanctus Laurentius in templo et sepulcro suo, ut ei digniorem locum cesserit, loculum suum in sinistram transferens, dextram Stephano concedens. Magna hæc est laus non tantum Sancto Stephano, sed etiam Sancto Laurentio, qui in suo domicilio protomartyri Stephano primas detulerit; jure propter hanc appellatus aulicus. Sed non est hæc una hujus rei causa : plures alias reperiemus.

I. Vere aulicum, et exulti moris est, amicum non deserere in necessitate, sed tum vel maxime ei assistere. Hoc enim ingenui hominis est, non fortunam sed amicum diligere : illiberalis vero non amicum sed fortunam ejus. Laurentius noster adhæsit Sancto Xysto, domino et pontifici suo, etiam cum is ad mortem duceretur, quantum in ipso fuit, volens cum ipso mori. Ita enim ei loquitur plane aulice : *Quo progredieris sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine ministro properas?*

Num paternitati tuæ aliquid in me displicuit? Experire utrum idoneum ministrum elegeris, etc. En tibi vere aulicum : quales certe non ubique reperias, nam; *Rara fides, ubi jam melior fortuna ruit*, ait Seneca, in Herc. Oeteo. Plures enim in aula adorant ad orientem solem, quam ad occidentem; principem fortunatum, quam dejectum ad infortunium. Sic Alphonsus rex Aragoniæ navigans e Sicilia, et videns aves garrias navim circumvolantes, dum cibi eis projicerentur; similes dixit aulicis suis, qui mensam tantum sectarentur et fortunam suam, Panormitan. de dict. et fact. ejus. Mercurius auri amantissimus, fortiter ei adhæret, attamen cum aurum in fornacem mittitur, statim illud deserit. Tales amicos describit Nahum, cap. III. *Custodes tui quasi locustæ, et parvuli tui quasi locustæ locustarum, quæ condunt in sepibus in die frigoris : sol ortus est, et avolarunt*. Vult dicere : Duces tui, milites tui, o Ninive, dum bene tibi est, te defendunt : at ubi venerit Chaldæus, ejus timore percussi fugient; sicut locustæ noctu, sub septem calore se defendunt, sole orto avolant. Tales experta fuit civis suos S. Agatha virgo, quæ cum e Panormitana civitate Catanam duceretur, judici sistenda, paulum progressa, dum ei calceamentum pedis solveretur, id restringere volens, sese inclinavit et ligavit : postea retro conversa, cum neminem civium, qui eam secuti fuerant vidisset, sed solis militibus se stipatam, omnes alios ad sua regressos esse, magno dolore affecta, oravit : *Domine Deus, ostende quæso civibus meis, qui non crediderunt ancillæ tuæ, nec perfecte me secuti sunt, signum aliquod*. Et statim orta est sterilis olea, quæ mentes Panormitanorum steriles publica ignominia notabat, ut in ejus vita 5. febr. Quid enim olea illa sterilis designavit, nisi sterile et inane Christianorum nomen, carens fructu operis boni? Fructu fortitudinis et constantiæ, quæ martyrii prelum, ut oliva, non refugiat?

II. Vere aulicum est dare etiam non petentibus, et ultro offerre munera, quærere insuper occasionem dandi. Præstitit hoc Sanctus Laurentius, qui accepta a Xysto papa potestate dispensandi thesauros Ecclesiæ, mox pauperes perquisivit in eorum domunculis et distribuit eis elemosynas, ac de nocte quidem, ne adverteretur a gentilibus. Talis elargitor erat etiam David, qui evecus ad regnum, inquisivit utrumne superesset aliquis de domo Saul, cui beneficeret propter

amicum suum integerrimum, Jonatham. Et cum inventus esset Miphiboseth, filius Jonathæ, restituit ei omnes agros Saulis, promisit insuper mensam suam in perpetuum, II. Reg. IX. Quærendi ergo sunt pauperes, nec expectanda eorum postulatio, sed prævenienda, quia: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis*, Proverbiorum XIX. recipiens sœnus millicuplum et quidem securissimum. Quis autem non offerret principi mutuum, a quo census expectaret centuplum certissima fide refundendum? Ac licet sint filii Saul, id est, inimici tui, qui hoc mutuum a te petunt, benefac eis propter Jonatham, Christi amore. Maxime vero hic aulicis exercendus est erga illos pauperes, qui ægritudine detenti, foras prodire nequeunt, ut mendicent: necnon erga eos, qui absque culpa sua inciderunt in pauperiem ex honesto loco, adeoque mendicare erubescunt. Cujus exemplum pulcherrimum præbuit Apollinaris, patriarcha Alexandrinus, in prato, cap. CXCIII. qui prædivitem adolescentem variis infortuniis ad pauperiem redactum miro prætextu juvit, fingens repertum chirographum, quo parenti ejus obligaretur ad quinquaginta libras auri persolvendas, quas proinde adolescenti velut filio ejus numerari jussit.

III. Aulicum et urbanum est, potentes sapienter admonere de salute sua. Fecit hoc Laurentius Valeriano imperatori; qui cum ab eo requisisset thesauros Ecclesiæ, promisit Laurentius post bidui aut tridui inducias. Arrisit Valeriano pactum; et post exactas inducias, submisit ad Laurentium camelos et currus ad thesaurum asportandum. Sed interea Laurentius congregavit pauperes, cæcos, claudos, quoscumque habere potuit (quibus jam antea distribuerat thesaurum) eosque in camelos et currus imperatoris impositos, ad conspectum illius duxit, iisque ostensis, dixit: *Ecce isti sunt thesauri Ecclesiæ* (ut refert Metaphr. in ejus vita, et indicat S. Ambrosius, necnon Augustinus, in homilia de S. Laurentio) quasi diceret: In his et tu, si velles, thesaurum invenire posses. Nam, ut S. Ambrosius, libro II. offic. capite XXVIII. ait: « Vere thesauri, in quibus Christi fides est; quorum manibus eleemosynæ nostræ cœlum penetrant, et nos thesauris potimur æternis. » Sed nihil profecit Laurentius apud inurbanum et rusticum imperatorem; quemadmodum et ipse Deus, quando epuloni ad ostium triclinii sui submisit mendicum Lazarum, ut per illum sibi dives opum, sed inops meritum, compararet veniam peccatorum et thesaurum in cœlo. Et o quoties hoc Deus exhibet opulentis! Satis etiam urbane, simul tamen et false correxit eundem Valerianum, ubi jam obstinatum in ma-

lo vidit, positus in craticula et jam semitostus, heroica illa voce: *Versa in aliud latus, et manduca*. Voluit enim dicere: Quid inde lucri habes, quod mera sævitia incitatus, inermem et innocentem ita tractas? Num caro hæc assata gulæ tuæ sapiet? Num ingluviem tuam saturabit? Tunc unus e barbaris illis anthropophagis es, imperator? Hocne imperatori gloriosum? Sic arguit olim David hostem suum Saul regem, quærentem ejus vitam: *Quem persequeris, rex Israel? Quem persequeris? Canem mortuum persequeris, et pulicem unum*, I. Reg. XXIV. rursum, c. XXVI. *Egressus est rex Israel, ut quærat pulicem unum*, quasi diceret: Quæ gloria est regis, persequi tam ignobilem hostem, qui ei tam parum nocere potest, atque canis mortuus aut pulex unus? Permovit hoc dicto Saullem David: sed non movit Valerianum Laurentius.

IV. Urbanum est et aulicum aliis cedere, etiam paribus, necnon inferioribus. Solent enim et digniores bene morati, deferre honorem et digniorem locum minus dignis. Fecit hoc Laurentius, imprimis mortuus in sepulcro cedendo S. Stephano, ut diximus. Deinde, quando contendit ut Justino presbytero pedes ablueret, et oscularetur velut diaconus sacerdoti: Justinus contra, Laurentio velut sanctiori et Ecclesiæ thesaurario id officii præstare voluit. Ambo enim in terram se projicientes, inter se certabant: sed vicit ad extremum Laurentius, et pedes Justino abluit. Alte nimirum impressit sibi id quod Paulus ad Rom. XII. docuit: *Honore invicem prævenientes*. Idque non forinsecus tantum ac palliate, sicut fere contingit inter aulicos, sed ex corde et sincere: *Superiores sibi invicem aberrantes*, ut idem ad Philip. II. ait. Habuit nimirum præ oculis exemplum Christi, qui de cœlo ad nos terræ vermiculos venit in Bethlehem: aliis hospitia concessit, ipse stabulo contentus: ad Joannem venit, ut ab eo baptizaretur, qui ipsum potius baptizare debebat: in cruce denique maxime infamem locum inter latrones elegit. Consideravit exemplum Deiparæ, quæ ad Elisabetham in montana abiit, ut ei serviret, Mater Dei matri hominis. Hoc denique præclarissimum exemplum, secuti sunt viri alii sancti, ut Paulus eremita et Antonius, contententes inter se, uter panem a corvo allatum frangere deberet, reputans alter alterum se longe digniorem.

Si quæras, quomodo hoc facere dignior sine furo et falsitate queat, respondet D. Thom. II. II. q. CLXXI. art. III. Primo, humiles aspicere in se, quæ a seipsis habent, mala: in aliis vero bona, quæ a Deo habent. Secundo, unumquemque fere excellere in aliqua dote, in qua

non excellit alter: sicut apparet in hominum ingeniis, artibus et opificiis, item in regionibus, quarum singulæ aliqua re abundant, quibus aliæ carent. Tertio, cogitant posse in altero latere occultam virtutem, qua ab ipso superentur.

V. Urbanum est a domino suo supremo, v.g. rege cum patientia et gratiarum actione acceptare etiam correptiones et vexationes præter meritum inflictas; veluti cum rex domum tuam destruit, ut inde sibi hortum plantet; vel equos aufert, ut curru suo jungat, etc. Cogitandum enim tibi, te mancipium esse regis, pleno jure ei subiectum. Sperare etiam potes magno aliquo munere jacturam rerum tuarum a rege tibi compensandam.

Hinc quidam aulicus rogatus, quomodo in aula consenuisset, quod rarissimum, respondit: *Injurias accipiendo, et gratias agendo*, teste Seneca, l. II. de ira, cap. XXXIII. Ita egit Laurentius, qui in ipsa craticula ustus, Christo gratias egit, quod se dignum tali martyrio, et per id cœli civem efficere dignatus sit: *Assatus gratias ago*, ait. Apud Parthos regis amicus humi subsidet, rege in sublimi thoro accumbente, atque more canum iis vescitur cibis, qui ab ipso rege projiciuntur. Sæpius etiam vel minima de causa ab extensa illa in terram cœna distractus, loris tesseratis virgisque ceditur: atque cum factus est sanguinolentus, humi pronus procumbens, tanquam benefactorem, verberonem veneratur, Athenæus, l. IV. cap. XIV. Et cur hoc iste tolerat, nisi conservandæ regis amicitia causa, et spe alicujus gratiæ, quæ miseras illas largiter compenset? Et tamen miseri persæpe spe ista deluduntur. At non ita, qui a Deo flagella sibi immissa cum gaudio excipiunt; norunt enim sibi flagra omnia in æternas et immensas coronas aliquando commutanda; unde ea cum gaudio et gratiarum actione suscipiunt, quasi non flagra sed rosæ forent, uti S. Tiburtius, qui in candentibus carbonibus ambulare jussus, Fabiano judici dicebat: *Carbones tui mihi flores videntur*: et S. Laurentius, cum a Valeriano cæderetur: *Infelix has epulas semper optavi. Crocus calcari et atteri gaudet, pereundoque melius provenit; ideo juxta semitas lætissimus*, ut ait Plinius, l. XXI. cap. VI. Nunquam Laurentius tantum gloriæ odorem spargeret, nisi prius ita conculcatus fuisset. Filii, qui a parentibus severius educantur, mature excitari ad studia obedienda jubentur, ob admissos lapsus severius castigantur, duris militiæ laboribus, humicubationi, fami, frigori assuescere coguntur: postea, adulta ætate, gratias illi agunt, quia per talem educationem et disciplinam ad magistratus gerendos et fortia patranda idonei facti sunt. Contra execrantur parentes suos illi, qui postquam

indulgentius habiti, nihil didicerunt, nisi vis indulgere; vident enim se negligi et odio haberi. Hinc profecto filioli, cum a parentibus castigati sunt, deosculari virgam jubentur; quia nimirum virga illa, non secus ac virga Aaron, germinabit aliquando eis flores honoris et virtutis. Hinc Arcadius, Theodosii imper. filius, a præceptore Arsenio semel ob delictum grave flagris exceptus, insidias primo, quidem ei traxit: postea, tamen imperator factus, per litteras ei gratias egit, veniam petiit, et totius Ægypti vectigalia pro munere obtulit, ut in vita S. Arsenii, 19. julii. Metaphr. apud Sur.

Vidimus Laurentium non inani vocabulo aulicum appellatum, sed vere talem fuisse, ideoque vel hoc nomine gloriosum coram Deo merito æstimamus. Quid vero nos? An rusticani in aula et Ecclesia Dei, an inurbani esse volumus? Timendum nobis erit ne ex aula extrudamur. Ergo si pulchrum esse putamus vivere moribus aulicis, nosse debemus, millies pulchrius esse vivere more Christi. Sic igitur vivamus, et tunc audiemus: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*.

CONCIO II.

SERVIRE DEO OPTIMUM.

- I. Nihil honestius et gloriosius, quam servire Deo. —
II. Nihil jucundius. — III. Nihil utilius.

THEMA.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Joan. XII.

Antisthenes philosophus, teste Æliano, l. X. var. hist. c. XVI. philosophiæ ludum aperuit: sed cum nemo accederet, tandem indignatus, nemini potestatem audiendi se permisit. Quare Diogenem etiam a sua conversatione repulit: verum cum is recedere nollet, baculum ei in caput impexit. Qua re nihil motus Diogenes: *Tu*, inquit, *percutere tantum, ego tibi caput præbebo: neque vero tam durum fustem inveneris, quo me a tuis disputationibus abigas*. Quod cum audisset Antisthenes, intimus ei amicus factus est. Simile quid agere videtur Christus Dominus in hodierno evangelio. Invitat enim ad se sequelam homines: *Si quis mihi ministrat, me sequatur*: interim tamen accedentes absterre et repellere videtur, dum addit: *Qui amat animam suam, perdet eam*: necnon mortem sustinendam esse suis sectatoribus ait. At his nihil obstantibus, nos Diogenem imitemur, nec a sequela Christi ullis fustibus nos repelli patiamur, neque inveniet Christus tam durum baculum, qui nos ab ipso abigat. Audimus enim

ab eodem et ista: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit: et: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quis, auditis his promissis, servire Deo metuat? Imo quis non ad servendum animetur, tametsi mille baculi ipsi intententur? Igitur videamus quam bonum sit servire Deo.

Tria omnino bona hominem alliciunt ad prosequendum aliquid: honestum, utile, jucundum. Quæ si conjuncta simul sint, potenter etiam trahunt, et fiunt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, Ecclesiastici IV.

I. Nihil servitute Dei est honestius, nihil gloriosius. Quid enim honorificentius, quid gloriosius, quam honorari a Deo? At in hodierno evangelio audimus: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Accedit Ecclesiast. c. XXIII. dicens: *Gloria magna est sequi dominum.* Ratio est primo, quia, quo altior est dominus, eo juxta proportionem nobiliores sunt servi ejus. Qui titulum gerunt servorum imperatoris, hoc ipso nobiles habentur. Quid igitur nobilitatis accedet iis, qui Dei altissimi servi sunt? Illi titulum quidem nobilitatis acquirunt, non vero sanguinem aut animam nobilem: at Dei servi una cum titulo, etiam animam nobilem, Dei gratia elevatam, accipiunt.

Secundo, qui Dei servi sunt, simul etiam amici ejus sunt (quod in humanis non fit); faciunt enim per omnia Dei voluntatem, amorem amicitiae, quo Deo bene volunt, ejusque bonum querunt, non amore concupiscentiae, quo seipos querant; quod faciunt servi hominum. Hinc Deus de Davide ad Nathan ait: *Vade et loquere ad servum meum David, II. Reg. VII. quia: Vir erat secundum cor Dei, faciens omnes voluntates ejus, Act. XIII. Eodem titulo, velut omnium speciosissimo, cohonestavit Abrahamum, Genes. XXVI. Multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham; et Jobum, c. I. Numquid considerasti servum meum Job? Moysen, Jos. I. Moyses servus meus mortuus est, q. d. ut ibi Cajetanus advertit: Mortuus est in statu servitutis meæ; quidquid erat, quidquid operabatur, meum erat; servus enim, totum quod est, dominus est. Hinc David eo titulo quasi gloriatur, Ps. CXV. O Domine, quia ego servus tuus et filius ancillæ tuæ, q. d. non mercenarius, sed hæreditarius. Similiter et Paulus in epistolis suis et S. Jacobus eum titulum sibi prærogant: *Paulus servus Jesu Christi. Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus.* S. Agatha, objecta sibi tamquam nobili genere natæ, christiani nominis vilitate: *Multo nobilior est, inquit, Christianorum humilitas, regum opibus ac superbia.* Denique, tantæ dignitatis est hic titulus, ut S. Greg. M. Pp. eum sibi usurpare non sit ausus, sed solummodo servum*

servorum Dei scribere se voluerit, quasi hæc magna dignitas sit, servire Dei servis.

Tertio, quia Dei servitus facit nos Deo similes; similes dico, non æquales. Ita enim testatur Clemens Alex. I. VII. Strom. quod: « Sicut qui Homero dat operam, fiet poeta; qui Demostheni, oratori qui Chrysippo, dialecticus; qui Aristoteli, physicus; qui Platoni, philosophus; ita qui parat Domino, efficitur ad magistri imaginem, deus, qui in carne versatur. » Quare sicut discipuli una cum doctrina magistri induunt etiam mores et opiniones ejus, ut plane magistrum suum representent, sicut Elisæus Eliam magistrum et dominum suum, cujus spiritum acceperat; ita servi Dei Deum in seipsis referunt: quæ causa est cur Paulus et Barnabas a Lystrensibus pro diis haberentur, Actor. XIV. quia divinum quid spirabant in vultu, voce, moribus, miraculis.

Has ob causas Deus servos suos ita honorificat, ut eundem fere honorem ipsius impertiat, qui ipsi debetur. Etenim sicut templum ipsi ædificamus, ita voluit, ut non quidem sanctis proprie (ut docet D. Thomas, II. II. q. LXXXV. ar. II. ad III.) sed ad memoriam sanctorum servorum suorum templum et altaria erigeremus. Deinde, festa Deo institimus, similiter et sanctis: sacrarum horarum officia Deo persolvimus, suo modo etiam sanctis, ut dixi. Quot vero quantisque miraculis Deus illos glorificat? Nonne iisdem, quibus Christus a Patre glorificatus est, imo et majoribus, sicut ipse prædixit? Testatur id umbra Petri et semicinctia ac sudaria Pauli: chorda S. Francisci varios morbos sanans: aqua, qua idem manus et pedes abluit, pestem animalium depellens: imo fœnum, de quo jumentum ejus comedit, mulieri in partu periclitanti opem ferens: asellus S. Petri Cœlestini Pp. cui impositus puer utroque pede claudus, mox sanatus est. Quid de reliquiis eorum? Quanto in honore etiam apud reges non solum eorum ossa, sed etiam attrita vestimenta, et quibus usi fuere instrumenta sunt? Sed de his alibi diximus. Jam quis unquam mundi hujus servus tanto honore affectus est, quanto afficiuntur servi Dei?

II. Nihil ea jucundius. Quid enim jucundius quam esse cum Deo? At in hodierno evangelio audiamus dicentem Christum: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* In quem locum S. Augustinus, tract. III. in Joann. ait: *Gratis ametur, ut operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando male esse poterit cum illo?* Hinc habemus primo, securitatem sub tanto protectore; deinde, spem mercedis æternæ, nihilo minus quam magnus ille Dei servus, Abraham, cui dixit Deus: *Ego pro-*

tector tuus sum, et merces tua magna nimis, Genes. XV. Quod ad prius illud spectat, quam lætus et securus degeres, si quemadmodum S. Cæcilia, vel S. Francisca Romana, in tutela et custodia angeli esses, qui assidue te custodiret. Vel si leonem cicurem te custodientem, in hostes vero tuos sævientem haberes, uti Sancta Daria in lupanari inclusa et custodita a leone, qui salacem juvenem ad eam ingressum prostravit et pede calcans ipsam aspexit, quid fieri cum eo vellet expectans, apud Sur. 25. octob. Similiter Joannes Silentarius episcopus, defensus in cella a leone contra Alamundarum, qui adeo non timuit ingruentem hostem, ut, cum posset fugere nollet, sed diceret: *Si Deus mei curam non habet, quid vivo?* Sur. 13. maii. Atqui tali protectione gaudent omnes servi Dei; Deus illorum protector est. Sensit hunc hyperaspisten suum Abraham inter barbaras nationes in omnibus necessitatibus suis: ut cum ei Pharaon abstulit uxorem, flagellavit enim Dominus Pharaonem ejusque domum propter ipsum, donec restitueretur ei Sara: interim ipse a Pharaone bene habitus fuit, Genes. XII. Rursum quando rex Abimelech eandem illi rapuit; Deo enim comminante, restituere intactam compulsus est, Gen. XX. Tanti fuit apud Deum Abraham, ut flagellaret et corripere pro eo reges. Sensit eundem protectorem Isaac filius ejus, qui simile periculum cum uxore adiit, Genes. XXVI. et nepos Jacob, custoditus peculiari Dei præsidio ab insidiis Laban soceri, Gen. XXXI. fratris quoque Esau, Genes. XXXII. Illi enim præcepit Deus: *Cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius: hunc vero ex inimico in amicum, ex lupo quasi in agnum mutavit.* Unde de illis dicitur, Ps. CIV. *Pertransierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum: non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges.* Quid dicam de plagis Ægypti et submersione Pharaonis? Quid de inclytis victoriis, impertitis contra Amalec, Chanaanum, Sehon, Og, reges? Denique, de triginta unis regibus occisis propter Dei servos, Hebræos? Jos. XII. Sed parva hæc sunt, si cum ea protectione comparentur, quam habuere a Deo in tormentis martyres novæ legis, summa animæ tranquillitate et incredibili gaudio supplicia omnia tolerantes; imo spernentes et deridentes, necnon ad acriora tyrannos provocantes. Marcus et Marcellianus fratres dicebant in tormentis: *Nunquam tam jucunde epulati sumus, quam hæc libenter Jesu Christi causa perferimus: Tiburtius in cadentibus prunis abundans: Prunæ, inquit, mihi flores videntur: similiter et eremicolæ extrema in paupertate variisque dæmone tentationibus summa pace perfruebantur;*

adeo ut eorum minas et verbera deriderent, veluti Antonius, alique. Quis servorum hujus mundi tam jucundam ac securam vitam in deliciis exiit, ut illi in certamine? Habent reges hujus sæculi satellitum custodias: sed ab illis ipsis timere, nolint velint, coguntur: habuit Maximilianus II. imper. et Joannes Austriacus leonem sibi morigerum et adhærentem pro custodia: sed non absque timore, ne ab ipso custode aliquando invaderentur: lectum Salomonis sexaginta armati circumstabant propter timores nocturnos, Cantiorum III. Mithridates Ponti rex somnum capiens, non modo satellitibus excubitoribus, sed etiam tauro, equo et cervo utebatur, ut in periculo suis vicibus insidiatores proderent, Ælian. I. VII. cap. LXVI. Adeo misera est vel summorum regum vita, ut nusquam tuti sint. Denique, mundi servis nunquam esse bene potest, quia sunt extra centrum suum, Deum, sicut brachium luxatum extra juncturam suam, aut piscis extra aquam: quemadmodum et columba extra aream non invenit requiem. Quod ad alterum pertinet, quid jucundius esse potest, quam habere Deum pro mercede simul et fidejussore? *Ego, inquit, merces tua magna nimis.* Quæ major esse merces ipso Deo, summo bono, potest, et quam ipse Deus *magna nimis* appellat? Solent enim magni viri parvi æstimare, etiam quæ vulgus maximo loco habet. Est ergo merces infinita, omnium bonorum aggregatione perfecta, mensura coagitata, superfluens et æterna. Quam lætantur milites cum magnæ prædæ spe ad expugnandas opulentas urbes excitantur. At illi tamen spe sua sæpe sæpius frustrantur. Jam: *Sit aliquis, inquit S. Chrys. hom. XVIII. ad pop. bona fretus conscientia, ad futura anhelans, et expectans beatam illam spem: quis hunc, quæso, poterit in tristitiam adducere?* Ad hæc igitur abbas Apollo, suos crebre adhortans, dicebat: « Tristentur mundani, tristentur Judæi, tristentur peccatores, qui aliam spem non habent: nos vero, qui tanta spe cœlestis gloriæ digni habiti sumus, quomodo non perpetuo lætabimur? » Refert Palladius, in hist. Lausiaca, c. LII. qui addit: « Unde licebat eos videre exultantes in solitudine, adeo ut nullam hujusmodi exultationem in terra videre liceat, nec lætitiæ corpoream, neque enim erat inter eos aliquis mœstus. » Quod idem de S. Antonio prædicat S. Athanasius, in ejus vita. Jam vero quid mundus pro mercede suis servis dat? Qui servi non queruntur nimis angustam, sæpe et incertam, quandoque etiam subtractam sibi esse mercedem suam? Quemadmodum enim venatores cani venatico, postquam is perdicem, coturnicem vel leporem cepit, non dant nisi forte ca-

put aviculæ, vel cruorem leporis: sic domini hujus mundi non nisi vilissimam et modicam dant servis suis mercedem, quorum opera ipsi interim ditantur. Blandiuntur initio canibus venatores, donec prædam apprehenderint; quo facto fessis et anhelantibus captam e dentibus eripiunt. Sic Vespasianus imperator rapacissimos quosque suos promovebat ad quæsturas, ut rapinis repletos raptor ipse expoliaret; unde dicebatur quæstoribus suis uti pro spongiis, quas primo imple-ret, deinde impletas exprimeret, Suet. Sabell. I. III. enn. VII. Neque dicat aliquis, mercedem ser-vorum Dei diu expectandam esse. Quam multi enim servi expectant mercedem suam usque ad mortem heri sui! Tu igitur expecta mortem tuam, quæ non longe abest, et forsitan hodie aut cras aderit.

III. Sed forsitan Dei servitus utilis non est? Imo nihil ea utilius; quod etiam indicant citata Chris-ti verba: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Quid enim ille non habebit, qui Christum secum habet? Lucæ XXII. interrogavit Christus post ul-tinam cœnam suos discipulos: *Quando misi vos si-næ sacco et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?* At illi responderunt: *Nihil.* Magna et mira res, nulla re eguisse cum paupere patrefa-milias in summa egestate! Quis hoc etiam ditis-simus in mundo dicere potest, nihil sibi defuisse aliquando? Quo enim major et potentior quisque est, eo pluribus non tantum servis, sed et aliis re-bus indiget. Soli igitur Dei servi dicere possunt, nihil sibi deesse, una cum Davide, Ps. XXII. dicen-te: *Dominus regit me* (Heb. et Gr. *pascit me*) *et nihil mihi deerit.* Quid enim ei deesse potest, qui Deum pastorem secum habet? Unde S. Fulgen-tius navigationem longam iniens, et nullos fere sumptus secum ferens, in Deo spem suam po-nens, illum psalmi versiculum suaviter cantabat: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit,* in vita, c. XII. Similiter ets. p. noster Ignatius Jerosolymam navigaturus, non nisi panes aliquot, quia nauta sic jusserat, navi imposuit; interim ob hoc ipsum suam in Deum diffidentiam redarguit, et nummos in portu reliquit, in vita, libro. I. Quod enim in-constanti et rebelli populo propter aliquos bonos præstitit Deus in deserto, ut quadraginta annis eos pasceret et nihil eis deesset (II. Esdr. IX. vers. XXI.) quomodo non præstabit servis suis fidelibus et morigeris? Quæramus ex Petro, cur in monte Thabor Christo, Moysi et Eliæ dumtaxat tabernacula ædificare voluit; sibi autem et sociis nullum? Respondet Abulensis, quæst. LXIV. quia non dubitavit se et socios suos mansuros cum Christo in ipsius tabernaculo, quia ipse dixit: *Ubi ego sum, illic et minister meus erit.* Non contingit

hoc servis aliorum dominorum; non assidenthe-ris suis in conviviis et lecticis, non cubant iisdem lectis; sed pedibus sequi currum heri cogun-tur, foris ossa rodere, in scamno cubare, in sta-bulo manere. Deinde, quod labore suo lucrantur, non sibi sed hero lucrantur: quod metunt et vin-demiant, non sibi sed hero quærunt. At non ita servi Dei, qui similes sunt fratribus Josephi, eumentibus frumentum, et pecuniam pro eo expen-sam simul in saccis frumento plenis secum re-portantibus, Gen. XLII. Quidquid pro cœlo ex-pendimus in nos redundat una cum beatitudine; honor, gloria, fama, augmentum gratiæ, etc. quæ inferunt secum merita.

Denique, servi hominum exiguo valde tempore fruuntur bonis herorum: nam si ægrotare incipi-ant, deseruntur aut ejiciuntur; post mortem vero ab eis nihil amplius sperare possunt. Unde bene aulicus quidam Eduini Angliæ regis, licet adhuc ethnicus, comparavit regum servos passeri volan-ti in hieme ex aura frigida per calefactum tricli-nium; qui dum per illud transvolat, nonnihil calefit et pascitur nidore ciborum: verum ob insi-dias mox per alterum ostium cogitur evolare, in vita S. Paulini Eborac. episc. apud Sur. 10. oct. Sic nimirum servi e frigore miseriarum intrant in domos magnatum, ubi paululum refocillantur, nidore potius quam gustu mensarum, et mox ite-rum vel evolant in pristinam miseriam, vel ob unicum delictum extruduuntur post præstita obsequia. Non ita servi Dei, quia: *Ubi ego sum, illic et meus minister erit,* ait Dominus; ergo et in cœlo. Horum enim merces vera in morte primum incipit, juxta id Ps. CXXXVI. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces.* Servi enim Dei sunt et jam ejus filii, qui manent in domo in æternum, Joan. VIII. Nihil igitur me-lius quam servire Deo. Unde S. Antoninus mo-riens crebro ingeminabat illud: *Servire Deo regna-re est* (ut habetur in ejus vita, 2. maii, apud Sur.) quasi jam tunc apprehendens desideratam præ-dam et mercedem servitutis suæ; quam et nobis largiatur is, cui servimus, Dominus noster.

CONCIO III.

ELEMOSYNA COMMENDATUR.

I. Quia est monile et torques nobilium. — II. Est ludus pilæ. — III. Est puteus inexhaustus. — IV. Est se-men, seu granum frumenti.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Joan. XII.

Est utique res utilis generi humano spargere in terram semen. Et tamen ubi sparsum est, mox advolare solent aves, et semen sparsum carpere atque devorare. Pari modo utilissima res esteleemosyna: ea tamen, ubi sparsa est, patitur inimi-cos, qui eamdem carpant, vel dispersæ indigen-tur. Sensit hoc Laurentius, qui velut thesaurarius Ecclesiæ, jussus a Valeriano imperatore de-promere thesauros, dispersit eos in pauperes. Un-de in tantum exarsit imperator, qui jam camelos et currus ad avehentos thesauros adduxerat, ut exquisitissimis pœnis torquere eum statuerit. Ni-mirum Laurentius: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Peccator vero Valerianus, *videbit et irascetur, dentibus suis fre-met et tabescet;* sed desiderium peccatorum peribit, Psal. CXI. Ipse demum Saporis regi Persarum sca-bellum pedum factus, et vivus excoriatus est, ut alibi dictum. Itaque ad solatium eorum, qui Lau-rentii exemplo sua liberaliter communicant pau-peribus, videamus quam id salutare sit.

I. S. Chrysostomus, hom. XXXVI. ad pop. An-tioch. appellat hanc liberalitatem seu eleemosy-nam *monile et torquem nobilium.* « Sicut divitum liberi, inquit, monilia circa collum aurea gestant, nec unquam deponunt, sed tamquam nobilitatis insigne circumferunt: sic et eleemosynam, cha-rissimi, oportet nos ipsos semper induamus, os-tendentes quod misericordis Patris simus filii. » Sic enim Deus dixit, Lucæ VI. *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*

Facit ergo primo, eleemosyna hominem Deo si-milem: dum enim illa miseris in vita conser-vat, fit eis quasi Deus, uti dixit S. Gregorius Na-zianz. orat. de cura paup. *Fias infortunata deus,* inquit, *miseri cordiam Dei imitando.*

Secundo, notat hominem caractere electorum, quasi unum ex illis, cœlo adscriptis; quod etiam tangit Eccl. c. XVII. *Eleemosyna viri quasi signa-culum cum ipso.* Antichristus signabit servos suos caractere bestiæ in dextera manu, Apoc. XIII. sed in manu contracta, sterili et avara, qualem describit Christus, Matth. XXV. *Esurivi, et non dedistis mihi manducare, etc.* Christus vicissim signat suos

caractere suo in manu extensa erga pauperes, fœcunda et liberali, juxta id: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.*

Tertio, gloriam homini etiam in hoc sæculo parit: quod indicat Sapiens, Prov. III. *Misericor-dia et veritas te non deserant: circumda eas guttu-ri tuo, et invenies gratiam coram Deo et hominibus.* Nil magis quærunt potentes, quam evehere no-mensuum. Hoc autem multo melius et solidius facient, conferendo eleemosynas in pauperes et opera pia, quam qui turrim Babel extruere cona-ti sunt ad celebrandum nomen suum, ut ostendit S. Chrysostomus, in Gen. c. XI. « Sunt multi, in-quit, etiam hodie, qui illos imitantur, et talibus operibus celebrari volunt, qui splendidas domos ædificant, et lavacra, et porticus et deambulacra: quorum si aliquem rogaveris, quare ita laboret, tam miser sit, tantosque pecuniarum faciat sum-ptus, eosque inutiles, nihil aliud audies, quam hæc verba, ut immortalam servet memoriam, et audiat quod illius est hæc domus, illius hic ager. Sed hoc non est tam laudem, quam crimen sibi parere. Nam statim ad hæc subjungentur plurimarum contumeliarum ver-ba: *Domus hæc hujus est, hujus avari, hujus rapacis, viduarum et orphanorum spoliatoris, etc.* Quod si omnino æternam memoriam amas, ego tibi viam monstrabo, qua poteris semper celebra-ri, et quæ dabit tibi fiduciam in futuro sæculo, etc. si has pecunias in manus inopum dispenses, etc. Hæc memoria immortalis, etc. » Pompæ aliæ in vestitu, famulorum caterva, opiparis men-sis, equis, canibus, divitias prædicant, non divi-tes, et habentur etiam ab aliis ac splendidius qui-dem: post mortem evanescent. Longe melius eleemosynarii nomen sibi pariunt, uti Sanctus Laurentius, qui de thesauris interrogatus, nume-rosam gregem pauperum produxit, dicens: *Eccc isti sunt thesauri:* quem maxima sua gloria imi-tatus est dux Sabaudia, S. Amedæus, qui a lega-tis quibusdam interrogatus, an canes etiam vena-ticos haberet, asseruit, et altero die magnum pau-perum, quos alebat, gregem produxit: « Hi sunt, inquit, canes mei, quibus cœlum me venaturum spero: qui si alios canes alerem, unum leporem aut cervum centum aureis deberem comparare, » Ægid. Corozetus, de dic. et fact. memor. Quanto major est hæc gloria Amedæi, quam illius ducis Silesiæ, qui testamentum condens, egregiam do-mum ædificari curavit, in qua canes, qui utiles venationi fuissent, ob senectam et corporis debi-litatem a suis relictis dominis, usque ad mortem alerentur, designatis ad eam rem etiam agris, Ænea Sylvio, l. IV. in com. Panorm. c. VI. Quid enim hic suis canibus venatus est, nisi ludibrium

et immortale dedecus? Et quid aliud venantur, qui in pompam sæculi, in convivia, vestes, personarum metamorphoses quam plurima impendunt? At de misericorde dicitur, Ps. CXI. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

II. Clemens Alexandrinus, lib. I. pædagogi, comparat eleemosynam ludo pilæ, in quo pila projecta per verberationem, redit ad eum qui projecit. In hoc ludo in primis est datum et acceptum, nam unus projicit pilam, alter eam repercutit: ita homo dat bona sua pauperi, et pauper bona data repercutit ac compensat bonis aliis: unde Ecclesiasticus, capite XIV. divites ad eleemosynas hortans, ait: *Da et accipe, et justifica animam tuam.* Habent aliquid divites, quod non habent pauperes, pecuniam videlicet, vestes, cibos. Vicissim habent aliquid pauperes, præsertim religiosi et pii, quod non habent divites, scilicet oculos illuminatos, doctrinam, merita, preces efficaces et nervosas, tabernacula in cælis ædificata. Ergo faciant commutationem bonorum suorum. Ita in Græcorum fabula cæcus claudum gestavit, et sicambo pergere potuerunt. Pauperes sunt claudi, divites sunt cæci. Isti suis opibus inopiam; illorum sublevant; illi suis meritis, doctrinis, consiliis, precibus cæcutientes divites in cælum dirigant. Sic monet apostolus, II. Cor. VIII. *Vestra abundantia illorum (pauperum) inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestra inopiæ sit supplementum.* Quod si pauperes in hac vita ditare possunt opulentes, multo tamen magis ditati jam in cælo et possidentes æterna tabernacula; quod sane Sanctus Laurentius præstitit imperatoricidam Constantinopolitano; qui, ut refert B. Petrus Damiani, I. VIII. epist. V. ad Petrum senatorem urbis, cum cæcus esset, monitus est per somnium, ut adiret ecclesiam S. Laurentii, quæ est Romæ. Quod dum abiit, jubet eum conjux per ambages circumduci et delineri per vicinum mare, interim Constantinopoli ædificat S. Laurentio, basilicam; qua perfecta, jubet maritum reduci, quasi ad Romanum Sancti Laurentii templum; sicque ille mox ut pedem in id intulit, putans esse Romanum S. Laurentii, recepit visum.

Deinde, in ludo pilæ est jucunda quædam recreatio. Ita et in misericordia, teste psalmista, Ps. CXI. *Jucundus homo, qui miseretur et commodat.* Unde S. Cyprianus, ser. de eleemosyna, vocat eam *grande solatium credentium.* Quis enim non percipiat solatium et lætitiâ, cum vidit pauperes e manu sua refocillatos, recreatos, lætitiâ perfusos, e mœrore et esurie ereptos? Turcis maxima consolatio est et gaudium emere as aviculas et libertati restituere; quæ, ubi

dimissæ, præ gaudio cantillant: *Ecce, inquit, quomodo gaudent et gratia agunt!* teste Busbequio, in sua legat. Quanto magis lætari Christianus debet quando homines captivos redimit, famelicos pascit, pauperes ecclesias vestit et ornat?

III. S. Basilius, hom. in divitem, Luc. XII. puteo comparat eleemosynam. Audiatur ipse: « Putei continuo exhausti. Et copiosiore et pulchriore admodum fluunt aqua; neglecti vero et quieti facile putent: sic et opes conditæ quiescentes vel inutiles: motæ autem et translatae, publicum commodum et fructum pariunt, quarum gratia o quanta tibi laus ex iis, qui beneficium acceperunt, proveniet! » Idem attestatur Isaias, cap. LVIII. *Cum effuderis esurienti animam tuam, etc. eris sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Negant mathematici, fontem effici posse, qui aquas emittendo easdem recipiat, quas iterum evomat, ita ut continenti aquarum educatione reductioneque perennis sit. At hoc eleemosynarum proprium. Licet enim fontes divitiarum in pauperes erogentur, rursus ita in dantes immittuntur, ac si nunquam effusi fuissent; itaque semper erit materies dandi nova. Testem adduco Salomonem, qui Prov. XIX. ait: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Posset id ostendi plurimis exemplis veteris et novi testamenti, si opus foret. In veteri, nonne hydria farinæ et lecythus olei mulieri Sarephthanæ, quæ paverat Eliam in summa egestate, stillavit semper donec pluvia immissa esset terræ post diurnam siccitatem? III. Reg. XVII. Addit præclarum aliud (quod nescio cur in margine appelletur fabula) Georgius Cedrenus, in hist. compendio de quodam Israelita, qui inter abductos a Salmanasar rege unus, dives et avarus fuit. Hic cum sacerdotem convenisset, ea quæ dixi verba (*fæneratur Domino, qui miseretur pauperis*) legentem, pœnitentia ductus, omnia sua pauperibus distribuit, duobus tantum nummis aureis servatis. Ad summam ergo redactus pauperiem, iter Hierosolymam instituit, ut cum Deo coram ageret, et quasi delusus scenus id repeteret. In itinere obvios habuit duos mendicos inter se contententes de gemma, quam invenerant; sed pretium ignorabant, colorem tantum admirabantur. Reprehendens ergo illos, offert eis duos, quos retinuerat, nummos aureos pro gemma, et item dirimit. Eam aurifici mox pontifici ostendit, qui edoctus ab angelo gemmam esse ex pontificali ephod amissam, magnoque auro redimendam, numerat aurum Israelitæ, simulque alapam impingit dicens: *Hæc angelus Domini me tibi nuntiare jussit, ut pro nobis in pau-*

peres distributis, triplum tibi divinitus redditum agnoscas, neve Deo amplius diffidas. Ille gaudio plenus discessit, relictis ad divinum cultum omnibus. In novo habemus innumeros, e quibus multos alibi produximus; in primis vero celeberrimum illum S. Joannem eleemosynarium: cum Deo quasi certabat liberalitate, an ipse plus in pauperes expendere, an Deus refundere posset, uti notum est.

IV. S. Paulus, II. Cor. IX. comparat eam semini, seu grano frumenti, de quo in hodierno evangelio: *Qui parce seminat, ait, parce et metet, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, id est, qui liberaliter dat, liberaliter etiam accipiet. Seminant agricolæ frumentum hoc anno, altero metunt et cum fœnore multiplici. Eleemosynarii seminant in hoc sæculo, metent in altero copiosissime. Audiamus S. Basilium, orat. XIII. de eleemosyna et benignitate: « Quomodum frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit: sic et panis in esurientem projectus multam in posterum tibi reddet utilitatem: » et Chrysost. hom. LV. in Gen. « Si agricolæ penu suam evacuant et semina terræ concredunt, et collecta dispergunt, idque cum voluptate faciunt ipse majora recipiendi se solantes, et quamvis sciant, quod aeris intemperies nonnunquam et terræ sterilitas et alia multa accidentia, ut locustarum, exercitus et rubiginis insidiæ, spe excidere faciant; attamen bona spe esse alentes, ea quæ sunt in promptuariis collecta, terræ concredunt: multo magis nos, quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus et educationem convenit. » Poterat Adam, primus agricola, dubitare prima seminatione de proventu sementis: sed post tot experimenta nullo modo. Quot vero argumenta habemus retributæ eleemosynæ? Quare sicut sementis non fit propter terram, sed propter satorem, ut inde alatur: ita eleemosyna non tam pauperi, quam diviti danti prodest. Ita S. Chrysost. hom. XXXVII. ad Antioch. pop. occurrens objectioni divitem, quod pauperes aliunde a communibus Ecclesiæ bonis juvari possint, respondet: *Nescis, quod non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quam propter ipsos impendentes instituit?* Unde idem homiliam XXXIII. scripsit super hoc argumento, quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima. Nam aliæ artes omnes aliarum indigent adminiculo, v. g. agricultura eget fabrili, carpentaria, lignaria, coriaria, etc. at eleemosyna simul omnia præstat et cum fœnore refundit, si vel duo minuta, quæ habes, des. Multi dicunt, se non posse vendere vinum suum. Quid? Ecce non convocant pauperes et distribuunt in illos?

Illis enim vendere possunt, et quidem maximo pretio; si non in hoc sæculo (quod non desiderandum), certe in altero illo certissime numerando. Vidimus quantum omni ex parte bonum sit eleemosyna. Desideratis enim bonum honestum? Ecce est vobis torques et monile aureum. Desideratis jucundum? Est vobis ludus pilæ? Desideratis utile? Est vobis fons bonorum perennis, fœcundus in hac vita et in futura messis millecupla. Ergo seminate; non curate aves semini huic infestas, ut ibi cum gaudio metatis.

CONCIO IV.

DILECTISSIMA QUÆQUE ODIU HABENDA, CUM A COELO NOS IMPEDIUNT.

I. Conjuges. — II. Parentes. — III. Filii. — IV. Mundi favor et honor. — V. Opes et divitiæ. — VI. Formæ pulchritudo. — VII. Amor vitæ propriæ.

THEMA.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joann. XII.

Mira quidem videtur hæc Christi doctrina. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; ea tamen adeo vera et perspicua est, ut vel rustici eam intelligant. Etenim si interroges eos, quam ob rem grana tritici, e quibus optimas placentas, optimum sibi panem possent conficere, projiciant in agrum, adeoque in lutum, ubi macerabitur ac morietur; respondebunt illi, hoc sibi plurimum prodesse, quod e paucis granis in agrum abjectis, brevi plurimam messem sperent. Hunc fere in modum etiam respondit S. Agatha Quintiano præsidi, cum inter tormenta incredibili exultaret gaudio. Dicebat enim: « Ut frumentum, nisi palea nudatum, tuto in horreo conservari non potest; ita nec anima mea tuto cæli penetralia prius subire potest, quam corpus hoc variis affectum supplicis fuerit, » ut in ejus vita, 5. febr. Quomodo ergo granum projiciendum est in agrum, ut cum fœnore resurgat: rursus flagellis tundendum, ut a palea separetur, sicque in horreo repositum conservetur: sic et homo in hac vita varie mortificari et cruciari, ac quidquid ipsi amore terreno adhæret, exuere debet, ut vitæ æternæ particeps fiat. Neque enim terrena simul et cælestia amari et possideri queunt. Itaque qui is gaudere vult, illis se denudet, omniaque salutis impedimenta eliminat odioque habeat. Horum vero potissima nunc videamus.